

DE TYCHONE BRAHEO, MA-
THEMATICO NOBILISSIMO, ET
DANORVM ATLANTE.



Vod cerebro inclusum Cœli cursum atque recursum,
Stellarumque vices, Cœlivagosque choros,
Circumferret A T L A S, est Cœlifer appellatus,
Rex ille Afrorum maximus ingenio.
Propter Atlanteum Pelagus dum Sidera lustrat,
Lapsaque sub terras, ortaque signa notat.
Nunc præstantis idem Studium est T Y C H O N I S, Huænna
Celsa vbi Balthiacam suscipit V R A N I A M.
Hic ille Instrumenta vias scrutantia Cœli
Struxit, adaptatis dispositisque locis.
Sic, ut vix alibi quicquam præstantius extet,
Regificumve magis, magnificumve magis.
Ergo Cœliferum quia T Y C H O imitatur Atlantem,
DANORVM cur non ille habeatur A T L A S?

NATHAN CHYTRÆVS F.

AD NOBILISSIMVM VIRVM TY-
CHONEM BRAHE, ASTRONO-
MORVM HVIVS SÆCVLI
PRINCIPEM.

O Animæ illustres, ò terque quaterque beatæ!
Est quibus Æthereas scandere cura domos!
Hinc tua laus PTOLEMÆE viget, fundamina prima,
Te structore ingensars habet V R A N I A E.
Proxima debetur tibi magne COPERNICE, perte
Longe aliâ, ac prisca situr ad Astra viâ.
Tertia T Y C H O N I S propria est, sed maxima; cuius
Viuet Atlanteus semper in O:be labor.
Posteritas sis grata Viris, quibus inclytus Æther
Panditur, & quorum Sidera scandis ope.
Teque sub his Ducibus Cœli penetralibus infer,
Ingenio ut superes pennipotente Polos.
Quàm sapit ille etenim, quisquis super Æthere vectus,
Et Terram, & nihili terrea cuncta facit!

HENRICVS HOIERVS F.

D E